



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Art. III. Quid liceat judici circa quæstiones, sive torturam?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

ut habet *Laym. l. c.* & *Less. dub. 15. art. 19.* ex aliis
Bon. l. c. Unde resolves Casus.

I. Antequam Judex procedat ad inquisitionem specialem vi infamiae, ipsa infamia prius examinari debet, & probari per testes saltem duos, qui nominent personas, à quibus id publice audiverint. *Nay. Rub. de jud. Trul. l. 8. c. 1. d. 17.*

II. Judex infamatum de uno crimine, v.g. adulterio, non potest interrogare de alio, de quo non est infamatus, v.g. furto, quia esset inquisitio specialis sine praevia infamia, *Salon. Casus, Trul. l. 8. c. 1. d. 18.* nisi tamen crimina sint connexa, vel unum sit circumstantia alterius, *ib. & Sanch. 2. p. conf. l. 6. c. 3. d. 21.*

Dixi in Resp. Regulariter, quia ad specialem inquisitionem non requiritur infamia praevia in casibus certis, quos v. apud *Less. l. 2. c. 27. d. 15. Bon. 2. d. 10. p. 5. Sanch. 2. p. conf. l. 6. c. 3. d. 19. Trul. l. 6.*

ARTICULUS I.

*Quid liceat Iudici circa quaestiones, sive
torturam?*

Resp. I. Ad torquendum Reum (si tamen torqueri potest) requiruntur alicujus gravis criminis ea saltem indicia: quae faciant semiplenam probationem, id est, red dant rem plus quam probabilem, qualia habentur, v.g. testis unus omni exceptione major, Rei confessio extra iudicium, item probabiliter etiam assertio duorum vel trium criminis sociorum, in criminibus exceptis,
præ-

præterquam veneficii, (in quo, an ex sola denuncia-
tione complicum, & quomodo procedere li-
ceat. *v. Tann. tom. 3. d. 4. de just. dub. 2. & 3. Laym.
l. 3. tr. 6. c. 5.*) item fama publica à viris honestis
orta, ac per testes probata, cum alterius iudicii ad-
miniculo (nam fama sola non probat, sed habet se
instar accusatoris) *Laym. l. 3. tr. 6. c. 5. n. 9.* ex variis.
Ratio responsi est, quia tortura instituta est ad
subsidiū probationis, quando argumenta & in-
dicia sunt valde efficacia, ut sic plena probatio
eliciatur: nam confessio Rei (si eam ratificet ex-
tra torturam, maneatque in ea usque ad sequen-
tem diem) ex semiplena probatione facit plenam.
Less. l. 2. c. 29. d. 17. Delrio l. 5. f. 3. Laym. l. c.

Dixi in responsione, *si tamen torqueri potest:*
quia quædam personæ prohibentur torqueri, nisi
in criminib. exceptis: tales sunt viri in magna di-
gnitate constituti, Officiales Principum, Urbium
Gubernatores, Nobiles Equestris Ordinis, Mili-
tes, Doctores, eorumque liberi, item impuberes,
senes memoria vacillantes, prægnantes, & non-
dum confirmatæ à partu. *Delrio f. 9. Binif. c. 6. c. de
Lugo d. 37. f. 14.* Unde resolves.

I. Peccat Iudex graviter, si non prius omnia
alia media mitiora detegendæ veritatis tenter,
quam ad torturam descendat.

II. Tortura simpliciter abstinendam est,
quando adest plena probatio criminis, quia ad
hanc ordinatur tortura, *Nav. Less. l. c.*

III. Insufficiencia ad torturam indicia sunt, si
cadaver occisi sanguinet ad præsentiam alicujus;
& sagæ non possint lachrymari. Item illicita est
proba.

probatio per aquas, &c. de quibus v. *De tris. l. 1. c. 17. Trul. l. 8. c. 3. d. 21.*

IV. Peccant Judices, qui in causis criminalibus, aut notabilis infamiae, Reum comprehensum, antequam habeant probationem contra ipsum, juramento adstringunt, ad dicendam veritatem, de omnibus, pertinentibus ad casum; ob quem comprehensus est, *Nay. c. 18, n. 41. & c. 15. n. 36.* Additque, idem esse, si (et si sine juramento) minis, terroribus, tormento tum ostensione, hominem turbent, & implicant, ut sibi contradicens, circumstantiam aliquam revelet, qua convincatur & puniatur. v. *Card. de Lugo d. 40. n. 1.*

V. Si Judex extorserit confessionem per injuriam, v. g. si torserit exemptos, si sine sufficientibus indiciis, si dolo malo, mendaciis, ficta impunitatis promissione induxit ad fatendum, vel aliter, (sive quoad substantiam, sive quoad modum) notabiliter excesserit in tortura, confessio nulla est, nec potest ex ea procedi: imò tenetur Judex ad compensationem damnorum, ut docet *Card. de Lugo d. 37. f. 14. n. 137. v. Less. c. 19. dub. 18. Laym. l. 3. t. 6. c. 5.* ubi etiam dolos bonos, quos *Deleis* suggerit Judici, plane rejicit, v. *Tan. tom. 3. d. 4. f. 2. d. 2. Trul. l. c.*

VI. Licet Reus confessionem injuste extortam postmodum ratificet, nihilominus Judex non potest procedere ad punitionem Rei, vel complicitis occulti: quia cum confessio fuerit irrita, consequenter etiam ratificatio ex ea orta, ex *L. penult. ff. de quest.* atque adeo etiam cognitio per illud medium parata, est injusta, *Nay. Salon. Less. Sayr. Trul. l. c. d. 10.*

Resp. II. Gravius torqueri potest, contra quem graviora sunt indicia, non tamen ita, ut moraliter sit impossibile tormenta sustinere, habita ratione personarum. Unde si hic excedatur, confessio extorta erit involuntaria, & habenda pro nulla, etiamsi extra tormenta coram Iudice ratificet, metu novæ torturæ, *Laym. c. 5. n. 11.*

Resp. III. Semel tortus, si nihil est fassus, iterum torqueri non debet, nisi nova criminis indicia superveniant: quia per torturam priora elisit. Si vero crimen in tortura fassus, extra eam revocet coram Iudice, repeti tortura potest, tum quia indicia manent in suo vigore; tum ob inconstantiam. Si verò tertio tortus ac confessus, tertio retractet, absolvendus est quia præsumendum est, vi tormentorum coactam fuisse confessionem, ideoque nullam. *Less. c. 29. d. 17.* Excipiunt quidam, si indicia sint gravissima, quæ violentam præsumptionem pariant, crimen malitiose à Reo negari, *Laym. l. c. v. Cardin. de Lugo d. 37. num. 156, Dian. tom. 3. tr. 6. R. 16 & 23. Trul. l. c. v. infra hic dub. 6. & 7.* An quando, & quomodo Iudex possit interrogare Reum de complicibus, v. *Trul. l. 18. c. 1. d. 22.*

ARTICULUS IV.

*Quid servandum Iudici circa sententiam
& pœnam?*

Resp. I. Iudex debet judicare secundum leges.
Unde inferior Iudex ordinarie non potest pœnam